

Men mag echter niet de indruk wekken dat alle latere schrijvers deze vergissing zouden hebben begaan. Sommigen noemen als geboorteplaats Xanten of Gennep, velen enkel Gennep. In onze streek bleef de naam « Norbert van Gennep » algemeen in gebruik ; E. Valvekens gaf zijn werkje zelfs die titel. In de bronnen zelf vindt men overwegend *Norbertus Magdeburgensis*, want meestal worden de bisschoppen naar hun bisschopsstad genoemd en niet naar hun geboorteplaats.

Over de *Vitae* brengt de schrijver niets nieuws. Hij schijnt de beide redacties als twee afzonderlijke bronnen te beschouwen (cfr. kol. 65 en 67), terwijl ze zeker niet onafhankelijk van elkaar zijn ontstaan, wat de schrijver wellicht ook niet wil beweren. Ook uitdrukkingen als zouden de *Vitae* « zeer betrouwbaar » (kol. 65) en « de meest oorspronkelijke bronnen » (kol. 67) zijn, kunnen wellicht misverstand wekken.

Het artikel van Th. W. J. Driessen heeft de verdienste duidelijk aan te tonen dat de levensbeschrijving van Norbertus niet vanuit bestaande literatuur kan worden geschreven, doch enkel vanuit een degelijke bronnenstudie. Het toont bovendien dat de schrijver geen moeite heeft gespaard bij het verzamelen van zijn gegevens, waarvoor hij onze erkentelijkheid verdient.

W. GRAUWEN, O. Praem.

**De officio Corporis Christi
in monasterio Sancti Foillani Hanonniensi
ante annum 1328 servato.**

Tempore quo in liturgia Praemonstratensis ordinis introducta est nova Corporis Christi solemnitatis, utpote quinta feria post Trinitatem recolenda, non statim ubique penes nostratos receptum est uniforme hujus celebrationis formularium prout nunc jam invaluit. Patet ex statuto Capituli Generalis, inter annos 1328 et 1334 codificato, cujus tenorem hic referre juvat :

Quia uniformitas tam in officiis quam in habitu per privilegia apostolica nobis precipitur observari, quam plerique prelati et subditi, suis voluntatibus nimium inherentes, servare vilipendunt, sed officium sancti Sacramenti quivis abbas et conventus, tam in cantu et lectionibus quam etiam in Ordinario seu modo celebrandi, pro libito assumit, vel facit sibi cantum ordinarium atque modum legendi

ac celebrandi... hinc est quod premissa de cetero fieri inhibemus, omnibus et singulis in virtute sancte obedientie precipientes, quatinus dictum officium sancti Sacramenti tam in cantu vel nota quam in Ordinario prout in libris ecclesie Premonstratensis habetur, et sic in eodem scribi et notari faciant quam cicius poterunt bono modo, et in suis libris inseri et in ecclesiis suis taliter observari ¹⁾.

In codice asservato nunc temporis in Bibliotheca Montensi (Mons in Belgio) sub n° 22/114, quo transcriptus est, manu saeculi XIIIⁱ finientis, Ordinarius Praemonstratensis, legitur etiam aliqua ordinatio *De Sacramento altaris*, altera tamen manu saeculi XIVⁱ forsan ineuntis, sed certo post ipsius Ordinarii transcriptionem: tenor enim hujusce ordinationis in folio vacante, ante textum Ordinarii, in limine codicis, est apposita ²⁾.

Originem suam notat ipse praedictus, codex in abbazia Sancti Foillani prope Roelx in antiquo comitatu Hannoniensi ³⁾. Unde non absque fundamento tenendum est hanc ordinationem novae festivitatis Corporis Christi eam esse quae ante decretum Capituli de quo supra hac in ecclesia adhibita fuit ⁴⁾. Juvat ergo ejus tenorem hic infra referre, cum singularia quaedam contineat ex primaevo formulario officii Leodiensis, scilicet duas orationes *Da nobis quesumus omnipotens* et *Deus qui gloriosum*, et unum responsorium *Melchisedech*, quod in codicibus aliquibus, finiente saeculo XIII^o exa-

¹⁾ De novo festo sanctissimi Sacramenti apud Praemonstratenses recepto vide Pl. LEFÈVRE, *La liturgie de Prémontré. Histoire, formulaire, chant et cérémonial* (Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium, fasc. I), Lovanii, 1957, pp. 90-91. — Textum Capituli Generalis hic productum lege in articulo Pl. LEFÈVRE, *Décrets liturgiques publiés par les Chapitres Généraux de Prémontré aux XIII^e et XIV^e siècles*, in *Analecta Praemonstratensia*, 1928, IV, p. 145-149.

²⁾ Codicis hujusce existentiam ejusque photographiam reproductionem mihi perlibenter tradidit D. Wymans, tabularius Montensis atque Tornacensis, de quibus gratias quam maximas.

³⁾ Post textus *De Sacramento altaris* transcriptionem additur in codice rubrica de orationibus *Communicantes* et *Hanc igitur* in missis festorum solemniorum Temporalis celebrationis. Deinde, majoribus litteris signatur: LIBER ECCLESIE SANCTI FOILLANI.

⁴⁾ Tempus quo haec ordinatio in Sancto Foillano redacta est forsan pressius praemendum esset inter duo decreta Capitulorum Generalium de festo Corporis Christi tractantia, nempe inter annos 1315 et 1328, saltem si datum prioris decreti 1315, prout asserit T. J. GERITS in thesi pro mss *De evolutie van de Premonstratenser wetgeving van 1290 tot 1322*, p. 140. Lovanii, 1964, tenendum sit.

ratis, — et inter eos in Breviario ecclesiae Strahoviensis, Pragis in Boemia, ordinis nostri, — erat jam usurpatum ⁵⁾).

Pl. LEFÈVRE, O. Praem.

DE SACRAMENTO ALTARIS

In primis vesperis cantatur antiphona *Sacerdos in* et psalmi *Dixit* cum aliis sicut in antiphonario continentur, responsorium *Homo quidam*, hymnus *Pange lingua*. De completorio nichil mutatur. Ad matutinum post invitorium hymnus *Sacris sollempniis* et in laudibus hymnus *Verbum supernum*. Ad primam dicitur psalmus *Confitemini*. Ad processionem responsorium *Unus panis*, in statione responsorium *Melchisedech*, versus *Panem de celo prestitisti*, collecta *Da nobis quesumus omnipotens*, ad introitum antiphona *O sacrum*, versus *Educas panem*, collecta *Deus qui gloriosum*. Utraque missa de festo erit cum *Gloria in excelsis*

4-5 De completorio nil mutatur] Quaedam particularia quoad antiphonas, hymnum, versus et orationem postea addita fuerunt. Pl. LEFÈVRE, *La liturgie de Prémontré...*, p. 92, nota 1.

6-7 Ad primam dicitur psalmus « Confitemini »] hic psalmus suppressus est saeculo XVIII. Pl. LEFÈVRE, *La liturgie de Prémontré...*, p. 52-53.

8 responsorium « Melchisedech »] Tenor hujus responsorii productus est penes C. LAMBOT, o. c., p. 122 et est sequens: « Melchisedech vero rex Salem proferens panem et vinum, erat autem sacerdos Dei altissimi, benedixit Abrahae et ait V. Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit celum et terram »

9 « Da nobis quesumus omnipotens »] Textus completus est: « Da nobis quesumus omnipotens Deus, corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi sacramentum incessabili devotione venerari, ut quod digne celebrare non valemus, saltem devotis mentibus et obsequiis frequentemus. Per eundem... ». Textus editus in J. COTTIAUX, o. c., p. 72.

10-11 « Deus qui gloriosum »] Tenor est: « Deus qui gloriosum corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi mysterium nobiscum manere voluisti, da nobis quesumus ejus presentiam corporalem ita venerari in terris, ut de ejus visione gaudere mereamur in celis. Per eundem... ». Textus editus *ibidem*.

⁵⁾ Quoad officium primaevum Leodiense vide J. COTTIAUX, *L'office liégeois de la Fête-Dieu*, in *Revue d'histoire ecclésiastique de Louvain*, 1963, LVIII, p. 5-81 et 405-489. Agitur de oratione *Deus qui gloriosum* et de altera *Da nobis omnipotens*, p. 71-73, quarum praestantia non minus habenda est, dicit a., quam nova oratio *Deus qui nobis*. — De responsorio *Melchisedech* notantur aliqua in C. LAMBOT, *L'office de la Fête-Dieu. Aperçus nouveaux*, in *Revue Bénédictine*, 1942, LIV, p. 69 et 91.

et Credo et prefatio *Quia per incarnati*. In majori missa tantum sequentia *Lauda Sion*. Et hec omnia per octavam cotidie ad missam dicuntur excepto quod sequentia *Ecce panis angelorum* 15 incipitur. In secundis vesperis quinque antiphone de laudibus dicuntur cum psalmis qui in primis vesperis dicti sunt, — que antiphone et psalmi cotidie per hac octavas frequentantur, — responsorium *Unus panis*, ymnus *Pange lingua*. Per has octavas non dicuntur suffragia preterquam de Cruce. Quod si festum 20 novem lectionum per has octavas inciderit, in octava ejus differetur. Eciam per has octavas super Magnificat et Benedictus dicuntur antiphone que in primis vesperis superius sunt cantate. Dominica infra octavam et in octava per omnia sicut prima die. Feria sexta et sabbato ad missam nulla memoria fit de Trinitate, 25 nec dicitur collecta de Omnibus Sanctis, sed secunda de Cruce, vel eciam de sancta Maria in sabbato, tertia aliqua familiaris, quarta pro prelatiis, quinta *Omnipotens... qui vivorum*. Dominica infra octavam matutinalis missa de dominica erit, secunda collecta de festo, tertia de Trinitate, cetere ut supra; major vero 30 missa de festo, secunda de Spiritu sancto, tertia *Omnipotens... qui vivorum*. Feria vero secunda, tertia, quarta et quinta, ad missam secunda de dominica, tertia de Spiritu sancto, cetere ut supra. Hec sollemnitas sollempnes habet octavas, et per has octavas nicil de aliquo festo agitur, licet novem lectionum sit, 35 sed in octavis ejus reservatur.

24 nulla memoria de Trinitate] quia ante praesentis festi institutionem festum Trinitatis habebat octavam. Pl. LEFÈVRE, *La liturgie de Prémontré...*, p. 89.

29 tertia de Trinitate] quia omnis missa de dominicis post Pentecostem tunc temporis commemorationem sive orationem de Trinitate recipiebat. *Ibidem*, p. 90.

33-35 per has octavas nicil de aliquo festo agitur, licet novem lectionum sit, sed in octavis ejus reservatur.] Postea statutum est festa duplicia sub hac octava integraliter esse celebranda, cum commemoratione in officio, et missa matutinali de octava. Pl. LEFÈVRE, *Décrets liturgiques...*, p. 153.

Note sur trois écrits de Jean Despruets.

La découverte que nous venons de faire, à la réserve de la Bibliothèque Sainte Geneviève, à Paris, d'exemplaires de certains écrits de Jean Despruets, abbé général de 1572 à 1596, nous a con-